

NOVÆ VEL NOTHÆ PO-
tius, in cælo nuper exortæ & adhuc lucentis, Phæ-
nomenon descriptum & explicatum.

Autore Paulo Fabricio Med. Doct. Cæsaris Mathematico.

S E R E N I S S I M I S P R I N C I P I -
bus ac Dominis. DD. Matthiæ & Maximiliano archi-
ducibus Austria, &c. Imperat. Rom. Maximil. II. filiis,
Dom. suis clementissimis, &c. Paulus Fabricius M. D.
Cæs. Mathe. de Phænomeno novæ Stella scripturus, S.



N I S I metuissimè, Serenissimi Archiduces, fore ut officio meo deesse dicerer, de nova hac Stella nihil scripsissem, multas quas nunc omitto ob causas. Verum quia illa tam diu in cælo consistit, & multorum bonorum literæ frequenter me inuitant ad dicendum sententiam meam, committere non possum quin ipsis gratificer, & officio quoque meo debitam præstem Vestris serenitatibus operam. Itaque primò historiã Stellæ cum apposita figura exponam. Postea quo loco consistat, quis eius motus, vel proprius vel alienus, quod tēpus apparitionis & durationis, quæ magnitudo, quis ortus & occasus, qui color ac radij, naturalisne an præternaturalis, qualis haberi debeat, fixane an planeta, meteoronne an aliud ostentum cometæ confine, & similia, cōsiderabo: & quid inde sperari debeat, coniecturis non fallacibus colligam, saluo omnium qui de hac scribunt iudicio.

A N T I Q V I T A S studiosa rerum cœlestium, memorię causa certum numerum stellarum figuris & asterismis circūscripsit. Ex his est & figura Cassiopeæ, quæ infra depicta in sella sedet, sub cuius tergo magna apparet Stella, quæ illa ipsa est

R